


DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE DYSENTERIA.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NECNON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

ANDREAS MITCHELL,
BRITANNUS,
LEGIONIS TRIGESIMÆ OCTAVÆ CHIRURGUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

Viro illuſtriſſimo

HENRICO EDVARDO FOX,

Uni e regiis in exercitu Britannico adjutoribus,

Legionis trigeſimae octavae tribuno forti et fideli,

E familia Hollandiae nobili nato,

Qui proſapiam veterem meritis,

Ingenio, et virtutibus ornat,

Quemque omnes,

Quibus eum noviſſe contigerit,

Amore et veneratione ſummis,

Non ſine cauſa quidem graviſſima,

Proſequuntur;

Propter beneficia fere innumera,

Multos per annos,

In ſeſe generoſe collata,

Hanc diſſertationem medicam inauguralem,

Ut monumentum animi haudquaquam ingrati parvulum,

Ea, qua par eſt, obſervantia

D. D. CQUE

AUCTOR.

Mr. Don
with best compliments
and wishes
from his friend
and humble servant
The Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DYSENTERIA.

CUM inftituta hujufce academiae celeberrimae unumquemque, qui fummos in medicina honores attingere velit, aliquod progreffus, quem in ea fcientia fecerit, fpecimen in vulgus edere jubeant; quo his, uti decet, obediam, paucis de dyfenteria, morbo, quem, dum in caftris aliifque, quae milites tenebant, locis, ubi ut complures annos agerem ars, quam profitebar, chirurgica faciebat, graffabatur, videndi et confiderandi multae occafiones mihi fubminiftratae fuerunt, differere decrevi.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus vere nonnunquam accedere notatur; ſed plerumque, ſub initium autumni, in conſpectum ſeſe dare incipit, morbos epidemicos, qui aeſtate praecedente invaluerunt, excipiens, et, donec frigus oriatur hyemale, cum gradatim decedit, manere ſolens.

Dyſenteriam frequenter antecedunt frigoris ſenſus, horror, plus minuſve laſſitudinis, capitis, dorſi, lumborumque dolor. Haec mox ſubſequitur calor adauctus. Brevi accedunt tormina non modica, quae modo ſupra, modo infra umbilicum ſentiuntur, deſiderio alvum evacuandi ſtipata, cum ea, quae inteſtinis comprehenduntur, cum aliquanto inflationis, plerumque excernuntur. Stercus examinatum materiam mucoſam, et plerumque plus minuſve ſanguinis ſibi admiſtum, habere reperitur. Poſt pauculas dejectiones, quae evacuantur, ea ſpeciem faeculentam omnino amittunt, liquida evadentia, et colorem profunde flavum ſubfuſcumve ſibi adipiſcentia; vel materia mucoſa ſanguine tincta deſcendit, et aegrotus ſanguinem purum nonnunquam excernit. Cum faeculenta evacuantur, ſcybala, maſſulae nodive ſunt, et eorum excretio nonnihil levationis plerumque affert.

Quo

Quo tempore aegrotus corripitur, eo nauſea et vomitione frequenter afficitur, et aliquid bilioſum vel ſubviride rejicitur. Sitis magna ſubeſt, et aegrotus ſaporem amarum in ore ſentit. Lingua muco craſſo coloris albi et nonnunquam ſubflavi obtegitur, et, morbo provecto, ſaepe nigra et ſicca eſſe reperitur. Appetentia cibi plerumque amittitur, aliquantum inquietudinis accedit, vires proſternuntur, et dejectiones, ne aegrotus ſomno fruatur, numeroſae cavent. Perquam frequenter tormina et excretiones alvinae numeroſae ſunt ſigna, quae ſemet primum oſtendunt. Haec brevi excipiunt horrores frigidi, ictus arteriarum celeres, et aliae pyrexiae notae. Quibuſdam in exemplis, in breve ſpatium, antequam morbus invaſit, alvus adſtricta fuit reperta, et morbum aliquando praeceſſit plenitudo vel tenſio abdominis inſolita, borborygmis, ructu, ſimilibuſque ſtipata.

Prout morbus progreditur, aegrotum infeſtant conamina alvum evacuandi frequentia, inefficacia, et ſubſtantiae texturae firmae et compactae, fruſtula caſei adipiſve reddentes, una cum corporibus membranoſis ſilamentiſve, quae e tunica inteſtinorum villoſa conſtare nonnulli exiſtimaverunt, interdum excernuntur. Non raro materia pus ſaniemve, quae ab ulceribus profluat, referens, evacuatur. In ſumma vero, niſi purgantia adhibeantur, admodum parum eodem tempore excernitur.

Hos

Hos nifus praecedunt et comitantur torminum auctus et tenefmus non parum doloris movens, aegroto fenfum habente, quafi inteftina comprimerentur, et e corpore exciderent. Tumores haemorrhoidales dolentes aliquando apparent, praefertim in iis, qui haemorrhoidi patent. Quinetiam ani prolapfus, praefertim in pueris, frequenter incidit. Urina cum dolore et difficultate, quae ardor comitatur, faepe excernitur. Cibus ventriculo receptus aliquando dejicitur, non multum in proceffu concoctionis mutationis paffus. Et cafus non defuerunt, ubi deglutitio alimenti tormina et tenefmum intulit.

Pulfus arteriarum frequentes, fed raro, nifi morbus in valentes et robuftos invadat, vel vere oriatur, pleni durive evadunt. Signa dyfenteriae pyrexiaeque comitantis vefpere ingravefcunt; fed mane verfus nonnihil remittunt.

Antequam morbus funefte finitur, omnia figna graviora evadunt. Tormina et dejectiones tam frequentes fiunt, ut aegrotus exigua nullave doloris intermiffione fruatur. Quae dejiciuntur, ea odorem foetidum, et aliquando intolerandum, emittunt, et faepe fine voluntate excernuntur. Pulfus arteriarum exiles et frequentes fiunt, fitis intoleranda, lingua nigra et ficca. Magna debilitas accedit. His fignis adjiciuntur fingultus, fudores frigidi, pallor faciei, extremorum frigus, deglutitio difficilis. Aphthae interdum in ore et faucibus,

notantur,

notantur, abdomen aliquando tumefcit et diftenditur, et nonnihil delirii, dolore ceffante, ante finem infauftum, frequenter accedit.

Pluribus aut paucioribus e fignis fupra comprehenfis fubftantibus, morbus progreditur, variumque fpatium habet, modo aegrotum quatuor aut quinque diebus, modo non ante diem decimum quartum quintumve, et non raro multo ferius, rapiens. Sive vero funefte finiatur, five in valetudinem commodam definat, maciem et debilitatem infignem nunquam non facit.

Cum dyfenteria formam minus gravem, quam quae fupra fuit defcripta, fibi affumit, omnia figna funt leniora. Tormina, tenefmus, et excretiones alvinae, minus frequentia funt. Quae dejiciuntur, ea plus fpeciei faeculentae et colorem flavum habent. Iifdem quoque non multum fanguinis admifcetur. Excreta odorem minus foetidum habent. Aliquantum appetentiae cibi manet, et parum naufeae et fitis fubeft. In fomnum reficientem interdum illabitur aegrotus. Per hunc, fudatione incidente, et dejectionibus minus numerofis evadentibus, et fpeciem naturalem fibi gradatim acquirentibus, reftituitur, fed vires ei admodum convelluntur.

In uno vel altero morbi ftatu, cum aliquot dies manfit, tormina, quae, fub initium, majorem abdominis partem occuparunt, regione hypogaftrica potiffimum circumfcribi videntur, parti coli inferiori et recto, ut fedi, ab aegroto relata.

Cum

Cum morbus autumno ſemet oſtendit, febris, quae eum comitatur, plerumque ad putredinem plus minuſve vergit, et formam aliquando remittentem vel intermittentem habet. Per paroxyſmos ſigna dyſenteriae propria evidenter ingraveſcunt.

Dyſenteriae, poſtquam aliquamdiu graviter urſit, ſigna ſaepe leniuntur. Characteres, qui morbo in ſtatu ejus magis acuto ſunt proprii, amittit. Materia mucoſa plerumque excernitur, torminibus et teneſmo levioribus ſtipata. Hoc dyſenteriam *chronicam* conſtituit, quae plerumque longum ſpatium habet; limites vero diſſertationi hujuſmodi praeſcripti me nihil aliud, quam dyſenteriam *acutam*, exequi patiuntur.

DIAGNOSIS.

Dyſenteria a diarrhoea ſequentibus potiſſimum ſecernitur; quod in hac nulla pyrexia primaria ſubeſt, quod tormina et teneſmus minus graviter urgent, quodque major ſtercoris moles et magis naturalis uno tempore evacuatur. Praeterea, dejectiones dyſenteriae propriae magis putridae ſunt, et ſanguini admiſcentur, qui in diarrhoea raro ſemet oſtendit. Quinetiam, diarrhoea non, in morem dyſenteriae, ſemet contagione vulgare notatur. Mihi vero perſuaſum eſt, nexum arctiſſimum

inter

inter duos morbos ſaepe intercedere, et diarrhoeam, ſi ſigna graviora ſunt, in dyſenteriam veram facile poſſe converti, praeſertim cum diarrhoea a frigore applicato proficiſcitur. Poſterior, contra, ſi lenis ſit, ſaepe ſub initium ſpeciem diarrhoeae prae ſeſe fert.

Ab haemorrhoide facile diſtinguitur. Namque in hac, ſi externa eſt, tumores circa anum evidentes oriuntur, et, ſi interna eſt, dolor parte recti inferiore et lumbis praecipue circumſcribitur. Inſuper, profuſio ſanguinis haemorrhoidem manifeſte levat, et una cum eo faeces naturales excernuntur.

Dyſenteria a cholera differt, quod ſpatium majus habet, quodque vomitio materiae bilioſae ad eam conſtituendam minime neceſſaria eſt. Quinetiam dejectiones cholerae propriae ſemper largae et copioſae ſunt, cum quantitate bilis non parva commiſcentur, et raro aliquid ſanguinis ſibi adjunctum habent. Inſuper, parum teneſmi ſubeſt. Denique, ſpaſmata ſurarum, quae pro ſigno cholerae pathognomonico habentur, in dyſenteria accedere raro notantur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hae autem in SEMINIA et POTESTATES NOCENTES aptiſſime dividi poſſunt.

SEMINIA.

SEMINIA.

Mortales ad dyfenteriam proclives reddere poteft, quodcunque fyftema univerfum, et praefertim canalem alimentarium, debilitat. Nonnullas e caufis manifeftiffimis, quae corpus actioni poteftatum nocentium opportunum efficiunt, recenfere conabor.

Fatigatio nimia, et affectus, qui animum contriftant, caufis, quae proclivitatem ad hunc morbum dant, jure fuerunt annumerata. Quin pofteriores ventriculo et inteftinis debilitatem fubitaneam inferant, ambigi nequit, nihil enim faepe evidentius eft. Proceffum concoctionis repente perturbant, et cibus naturam acidam putridamve fibi brevi acquirit, cardialgiam, ructum, naufeam, et vomitionem faciens. Haec autem mala fpatio temporis exiguo oriri faepe notantur, poftquam aegrotus viribus affectuum hujufcemodi et dominatui fuit objectus.

Ebriofitas idem haud dubie praeftat. Quanquam vinum aliique liquores fpirituofi, cum modice adhibentur, ad morbum arcendum plane accommodantur, et per ftimulum, quo fyftema nervofum impertiuntur, ut corpus effectibus poteftatum nocentium valeat obfiftere faciunt; experientia quotidiana tamen ufum eorundem immodicum fyftemati univerfo vires convellere, idque admodum irritabile, et, quod caufis leviffimis fibi admotis

motis afficiatur, aptiſſimum reddere, abunde teſtatur. Haec debilitas autem in ventriculo et canali alimentario, quibus recta applicantur, quorumque functiones igitur potiſſimum turbantur, evidentius apparet. Saepe quidem notavi, liquoribus ſpirituoſis deditos, frigoris et humiditatis actioni objectos, in morbum facilius, quam alios, incidere periclitari.

Ex hoc, quod morbus in caſtris, per autumnum, magnopere graſſatur, cogi et effici poteſt, corpora mortalium proclivitatem ad eum, aeſtate praecedente, ſingularem ſibi comparaſſe, quae, ut poteſtates nocentes in ea hoc tempore, quam quolibet alio, potentius efficaciuſque agant, facere videtur.

Haec proclivitas in debilitate totius ſyſtematis et relaxatione, quantum judicare poſſum, conſiſtit. Per menſes aeſtivos, corpus humanum calore, qui hiſce dominatur, ei conſtanter applicato, debile et irritabile redditur, qui juſto major ſolida relaxat, et actionem cordis arteriarumque debilitat, proclivitatem ad diatheſin putridam procreans. In plagis calidioribus, praeſertim aeſtate, poteſtates et corporis et animi praeter conſuetudinem langueſcunt, averſatio niſus omnigeni adeſt, functiones modo abnormi peraguntur naturales, et appetitus pleriſque imminuitur. Sitis quoque intenditur, quod partim a ſtimulo caloris, et partim a materia fluida ſanguinis auctu perſpirationis diſſipata pendere videtur. Hinc inſolita humorum aqueorum, qui damna

perſpirationis reficiant, in ſyſtemate neceſſitas oritur. Quinetiam proceſſus concoctionis parum aequaliter conſtanterque perficitur; namque motus canalis alimentarii modo rapidior eſt, diarrhoeam faciens, modo juſto tardior, alvum adſtringens.

Inſuper, probabile eſt, curſum humorum mutatum huic debilitati eſſe fauturum. Namque, menſibus aeſtivis labentibus, humores cutem parteſque exteriores verſus copioſius feruntur, diſtenſionem, praeter conſuetudinem, vaſis cutaneis inferentes. Haec vero in tempus diuturnum manens ea relaxabit, et nimis irritabilia reddet. Excretio e ſpiraculis cutis adaucta relaxationem hujuſcemodi et plenitudinem ſubeſſe demonſtrat, quae, apud plagas calidiores, tempore aeſtivo, ſemet ſub forma ſudoris copioſi et fluidi, praeſertim exercitatione adhibita vel corpore radiis ſolaribus objecto, oſtendere conſuevit.

Ex his modo traditis clare et evidenter apparet, corpus univerſum, actioni atmoſphaerae calidioris, longum in ſpatium, objectum, et ſuperficiem ejus potiſſimum, ſenſilitatem morbidam ſibi acquirere. Rebus ita ſe habentibus, promptius, poteſtate nocente applicata, afficietur, et facilius in morbum incidet.

POTESTATES

POTESTATES NOCENTES.

Quae cauſa tempeſtate autumnali, cum dyſenteria incipit graſſari, frequentiſſime, meo judicio, agere videtur, ea eſt *frigus* corpori noctu applicatum, quod, in regionibus calidioribus, ab aeſtu diei praecedentis calidiſſimi plerumque eſt viciſſitudo repentina.

Quanquam hae viciſſitudines non ſemper tantae ſunt, quantae thermometrum ultra pauculos gradus afficere poſſunt; effectus tamen, quos in corpus vivum edant, ſatis manifeſti et evidentes eſſe queunt, magis a vi ſenſus, quam a tempore diminuta, pendentes. Et licet viciſſitudo, in tempus breviſſimum, tantum maneat; frigus tamen, vi ſua adſtringente et ſedante, in vaſa cutanea praeter naturam irritabilia ſubito agens, et ea ſpaſmo afficiens, conditionem ſyſtematis ſanguinem circumvehentis ita, ut curſus humorum nimius et morbidus partes interiores verſus fiat, mutare periclitatur.

Quinetiam certa, actioni frigoris morbidae auxiliantia, operationem ejus efficaciorem reddere poſſunt. Calor ſolaris per diem, ut aër plus humiditatis diſſolvere poſſit, faciet, quae rurſus noctu ſub forma roris praecipitabitur. Hic autem, apud plagas ad auſtrum vergentes, copioſiſſime deſcendit, et veſtimentis retentus,

et

et calore corporeo evaporatus, fons frigoris magnus et actuosus evadit; vel humiditas sub forma pluviae corpori applicari potest, cum iidem effectus edentur.

Humiditas corporis parti admota saepe non minus, quam cum toti ejus superficiei applicatur, nocere videtur. Actio ejus autem, hoc in exemplo, a consensu, qui inter partes systematis dissitas intercedit, pendet, qui artus inferiores inter et intestina perquam insignis est. Quantum frigus hoc modo parti singulari applicatum ad distributionem sanguinis mutandam possit conferre, saepe in primis est notabile. Pedes, exempli gratia, in frigidam demergere pallorem vasis superficiei propriis et contractionem subito infert. Idem quoque praestat frigida cuilibet corporis parti, quae tegi consuevit, affusa. Effectus omnino contrarios edit pediluvium. Vires enim ejus relaxantes in spasmum plurimum possunt, et, ut impetus humorum adauctus partes exteriores versus fiat, evidentissime faciunt.

Insuper, actio harum a calore ad frigus vicissitudinum in systema corporeum multum augeri potest, si vento aërisve fluento stipantur, quod atmosphaeram calidam, quae corpori circumdatur, eoque sustentatur, fugat et dissipat, et evaporationem ab ejus superficie adauget, quod ad effectus frigoris intendendos magnopere conferet.

Milites, et cum castris continentur, et cum bellum revera gerunt, multis e causis, quae actioni frigoris mor-

bidae

bidae amiciſſimae ſunt, plerumque objiciuntur. Debilitas calore aeſtivo relaxante illata fatigatione nimia frequenter augetur. Multum detrimenti ab abſtinentia longa et inevitabili ſaepe capiunt, et pars alimenti praecipua e cibo animali ſalito non raro conflatur, qui aliquando ad putredinem nimis accedit. Somnus illis raro imperturbatus eſt. Praeterea, uſui liquorum ſpirituoſorum immodico magnopere ſunt dediti, et ebrii humi, nulla cura adhibita, ſaepe decumbunt; morbus homines, qui ſemet ita geſſerunt, ſaepe invaſit.

Inſuper, multa e phaenomenis, quae morbum comitantur, materiam acrem in corpore progenerari probabile reddunt, quae per impetum humorum mutatum ad canalem alimentarium devecta, et diſtenſioni ſubitaneae et inuſitatae vaſis illatae auxilians, affectum tunicae inteſtinorum villoſae inflammatorium, una cum aliis morbi ſignis, movet. Qualis natura hujuſce acrimoniae ſingularis ſit, vel cur in tunicam inteſtinorum villoſam potiſſimum agat, exponere nequeo. Et eodem modo ratio juſta et probabilis reddi non poteſt, cur materia varioloſa, in ſyſtema diffuſa, cutem potius, quam cava corporis interna, ſtimulet, et in his, ſub forma papularum, ſemet oſtendat. Haec acrimonia, forſitan, quae ad dyſenteriam excitandam confert, eſt materia perſpirabilis, quae cohibita dotes nocivas ſibi acquirit, unde membranam canalis alimentarii ſenſilem, et vaſculis fere innumeris inſtructam, ſtimulare valet.

Cum

Cum morbus primum invadit, brevive poftea, notae pyrexiae femet oftendunt, quae per totum morbi decurfum manent, et impetum humorum morbidum, inteftina verfus factum, fuftentare videntur.

Quae exhalationes a fubftantiis animalibus vel vegetabilibus putridis oriuntur, eae dyfenteriam facere exiftimatae fuerunt. Caeterum, me judice, haec effluvia dyfenteriam genuinam minus frequenter faciunt, quam plerique auctorum, qui hoc argumentum fuerunt executi, pofuerunt. Namque minime compertum habemus, in pellibus animalium putridis fubigendis, vel in oleo balaenarum praeparando occupatos, aliofve, quorum eft inteftina animalium purgare, huic morbo, ante reliquos mortales, patere. Homines tamen hujufmodi atmofphaera, quae vaporibus putridis onufta eft, conftanter circumdantur. Hifce inductus, non opinari non poffum, hofce vapores aliquam mutationem ulteriorem fubire oportere, antequam morbum poffunt excitare. Quae exempla ab auctoribus memoriae produntur, ea cafus tantum diarrhoeae fimplicis effe videntur.

Status bilis acris vel vitiatus dyfenteriam excitandi, fed fine caufa, uti videtur, gravi, fuit infimulatus. Cholera enim acrimoniam, vel quantitatem ejus humoris redundantem, plerumque fubfequitur. Haec opinio a fpecie, quam dejectiones, quae, fub initium morbi, cum bile commifcentur, prae fefe ferunt, profecta fuiffe videtur.

detur. Cùm bilis humor ſolus coloratus ſit, qui in canali alimentario reperiundus eſt, moles dejectionum ex ea conſtare poſita fuit. Qui vero rem ita ſeſe habere ſibi in animum induxerunt, ii admodum decepti fuiſſe videntur. Namque copiam humoris inſolitam ex omnibus vaſis ſecernentibus, quae in canalem alimentarium hiant, effundi probabile eſt, quae tincturam a materia bilis colorante flavam vel ſubviridem accipit. Praeterea, experientia docet, hunc humorem, quantitate inuſitata ſecretum, alvum purgare, et inteſtina contentis ſuis liberando in dyſenteria prodeſſe.

Dyſenteria, cum ſemel apparuit, plurimos, ſimilia loca tenentes et ſimiles corporis conditiones habentes, eodem tempore corripit. Hinc in caſtris frequenter graſſatur, et multos occidit. Auctores ſummi judicii ſummaequae attentionis, qui morbum per ſtadia ejus graviſſima ſaepe viderunt, eum contagione vulgari quaſi una voce teſtantur. Et quae illi aſſeruerint vera eſſe mihi perſuaſum eſt. Morbum vero non ſemper contagione diffundi, experientia propria doctus, optime novi. Per nuperum, quod in America flagrabat, bellum, meum fuit manum curare, quae caſtra in loco poſuerat, ubi optimum domicilium, quod poterat aegrotis comparari, fuit horreum amplum. Quae anni tempeſtas labebatur, ea fuit autumnus, et dyſenteria militum plurimos graviter exercebat, non paucis aliis morbis eodem tempore ſemet oſtendentibus. Propter neceſſitatem

univerſi

universi aegrotantes hoc in aedificio fuerunt collocati, et ab inclementia coeli defensis stragula sufficiebantur. Cavum, ubi alvus evacuaretur, ad aliquam distantiam effossum est, ad quod omnes aegroti, sine ullo discrimine, decurrebant. Morbus vero non semet diffudit. Nulli eorum, quantum meminerim, qui aegrotos nutriebant, et nulli ex aegrotantibus ipsis, qui aliis morbis conflictabantur, in dysenteriam inciderunt; quanquam, hoc tempore, aliquos militum, qui munia in castris obibant, quotidie invadebat. Ipse idem omnino incidere compluries animadverti, et non pauci, quibuscum amicitia mihi intercesserit, in similibus locis eadem notarunt.

Si etiamnum contendatur, dysenteriam primario a contagione semper proficisci, non parum difficile erit exponere, quomodo multis in locis diversis, inter quae nihil commercii intercedit, eodem tempore oriatur, quomodo naves mari, ubi ad contagionem nullo modo potest accedi, frequenter infestet. Quae putrida effluvia hic colliguntur, ea typhum febrimve continuam potissimum movere reperiuntur, et contagio quidem hujusmodi qualibet anni tempestate, si modo quae ortui ejus faveant non desint, progenerari potest. Quantum vero ad dysenteriam attinet, ea, praeterquam in raris exemplis, a vicissitudinibus tempestatis pendere videtur. Si vero a contagione pendeat, haec forsitan

tantum,

tantum, certis rebus ſubſtantibus, progeneratur, et originem a ſtatu atmoſphaerae ſingulari deducit.

Nautae autem, praeſertim intra gradus latitudinis calidiores, eiſdem fere caloris et frigoris viciſſitudinibus, ac milites, objiciuntur. Dyſenteria igitur claſſes frequenter infeſtat. Praefecti vero, et mari et terra, qui noxas frigoris et humiditatis veſtimentis calidioribus arcere poſſunt, quibuſque vinum cibuſque ſalubris copioſius ſubminiſtrantur, in eam rarius incidunt. Quinetiam ſilentio non praetereundum eſt, eos defatigationi aliiſque debilitatis cauſis, quae proclivitatem ad morbum conſtituunt, minus objici ſolere.

Cauſis remotis dyſenteriae autumnalis tam plene, quam ratio inſtituti patiebatur, conſideratis, paucula de morbo, prout vere in conſpectum ſeſe dat, proferre conveniet. Hac anni tempeſtate quidem minus frequenter invadit.

Sydenhamius immortalis memoriae prodidit, morbos, qui aeſtate et autumno ſemet oſtendunt, ad diatheſin putridam eſſe procliviores; eos vero, contra, qui hyeme et vere accedunt, plus inflammationis habere. Qua ratione tempeſtatem aeſtivam mortales ad dyſenteriam pronos efficere ponam, ſupra explicare conatus ſum.

Temperies aëris, per menſes hyemales, plerumque magna ex parte aequalis eſt, paucifque mutationibus opportuna. Rebus ita ſe habentibus, frigus, ut vulgo exiſtimatur, ſua ſtimulante et tonica poteſtate vigorem et

C firmitatem

firmitatem corpori insolita comparat, proclivitatem ad diathesin phlogisticam faciens. Caeterum vere, praesertim in plagis calidioribus, eaedem frigoris et caloris vicissitudines, ac autumno, incidere consueverunt. Meridies non raro grate calidus est, dum vesper frigidissimus est, et tremores et horrores excitat. Hinc homines aëri nocturno objecti in eosdem morbos, qui autumno epidemice grassantur, sed non aeque certo, incidere periclitabuntur, quod tonus systematis adauctus impetum humorum ad superficiem rursus vertere saepe valebit. Dysenteria eos potissimum, quibus intestina debilia et irritabilia olim reddiderit, quibusque frigori leviter expositis nonnihil diarrhoeae et tormina superveniant, facillime afficiet. Quae dysenteria vero hoc anni tempore incidit, ea ab autumnali hoc praecipue secernitur, quod corpora valentiora occupat, et febre inflammationem habente stipatur, quae plus evacuationis e systemate generalis exigit, quam quod in dysenteria autumnali necessarium esse reperitur.

CAUSA PROXIMA.

Haec, me judice, in affectu tunicae canalis alimentarii villosae inflammatorio potissimum consistere videtur, quem comitatur pyrexia, quae, pro gradu inflammationis

tionis quae ſubeſt, magis minuſve gravis eſt. Rem ita ſeſe habere, e cauſis morbi remotis, quae ſupra ſunt comprehenſae, conſideratis, ſed potiſſimum e phaenomenis inter cadavera eorum, quos dyſenteria extinxerat, incidenda notatis, concludo. In hiſtoria omnium, quas memoriae tradiderunt auctores, inciſionum, ulcera, eroſiones, et notae inflammationis coli rectique praecedentis aut praeſentis, nunquam non referuntur. Profeſſor eruditiſſimus Monrcius praeparata numeroſa medicinae ſtudioſis exhibenda curat, quae effectus morbi plane oſtendunt, et huic argumenti parti non parum luminis offundunt. In nonnullis eorum tunicae craſſae, ſcabrae, et inaequales ſunt; in omnibus, tunica villoſa multum condenſatur, inaequaliter, portionibus non parvis disjunctis, protruſa. Si aer, vel quilibet liquor in vaſa immittatur, in cavum per oſtia ampla oculiſque percipienda, quae examinata vaſorum ſanguiferorum minime exilium eroſiones eſſe videntur, rurſus effunditur. Cum occaſiones corpora eorum, quos morbus mature rapuiſſet, examinandi medicinam remve chirurgicam facientibus fuerunt ſubminiſtratae, magna pars tunicae inteſtinorum interioris gangraena aut inflammatione laborare fuit reperta. Teſtimonio auctorum concordi experientiam propriam adjicere liceat. Viſcera multorum, quibus dyſenteria exitio fuerat, abdominalia inſpexi. Notae autem injuriae loco propriae in colo et recto ſemet conſtanter oſtenderunt. Modo formam

formam induratorum, quae ulcera et erofiones comitabantur, gefferunt. Modo canalis alimentarii portiones gangraena laborare videbantur. Inteftina tenuiora morbo, fi partem eorum infimam, quae in caput coli caecum definit, excipias, raro laborarunt. Haec pars ilei quidem colorem praeter confuetudinem rubrum interne habere aliquando reperiebatur. Abdomen viri, qui morbo, poftquam quatuor decubuerat dies, fuerat extinctus, patefactum eft. Superficies interior partis ilei, coli, et recti majoris colorem profunde rubrum habebat, vafa fanguifera fanguine diftendebantur, fed ulceratione carebant. Monroius celeberrimus quoque praeparatis clare demonftrat, ileum nonnunquam effe ulceratum. Sedes morbi igitur non colo rectoque folis circumfcribitur.

Ex his aliifque hiftoriae morbi propriis attente confideratis, et e torminibus abdomen, cum morbus primum invadit, univerfum occupantibus, deinde, morbo provectiore, femet parti coli inferiore rectoque continentibus, conftare videtur, affectum inflammatorium partem fuperficiei canalis alimentarii internae majorem prius tenere, deinde, cum morbus aliquamdiu manfit, inteftina tenuiora, plerifque in exemplis, relinquere, et amplioribus potiffimum femet circumfcribere videri. Haec affectus inflammatorii demigratio hiftoriae et definitioni erythematis, prout a viro fagace Culleno traduntur, ex toto convenit. Hunc affectum,

qui

qui tunicam inteſtinorum villoſam invadit, erythematicum eſſe judico; ſed e phaenomenis, quae inter cadavera incidenda ſemet in conſpectum dant, evidentiſſime patet, eum frequenter altius penetrare, effuſiones in telam celluloſam facientem, quae in ſuppurationem, frequenterque in maculas gangraenoſas deſinentes, ulcera et eroſiones, quae toties per morbi decurſum apparere videntur, progignunt.

Partem cauſae dyſenteriae proximae praecipuam a conſtrictione coli praeter naturam, vel ſpaſmodica, pendere opinatur Profeſſor eruditus et ingenioſus nuper comprehenſus. Verba ejus vero audiamus. 'I apprehend, therefore, that the proximate cauſe of dyſentery, or at leaſt the chief part of the proximate cauſe, conſiſts in a preternatural conſtriction of the colon, occaſioning at the ſame time thoſe ſpaſmodic efforts which are felt in ſevere gripings, and which efforts, propagated downwards to the rectum, occaſion there the frequent mucous ſtools and teneſmus *.' Quantum auxilii a ſcriptis ejus et praelectionibus deduxerim, et in hoc et in aliis argumentis, et quam liberaliter e doctrinis ejus fuerim mutuatus, hic lubens confitear oportet; ſed, pace viri, quem ſummo et meritiſſimo honore ſemper proſequar, ſcientia ingenioque eminentiſſimis jure nobilitati, ab hac opinione non diſſentire non poſſum.

Eodem

* Vide Firſt Lines, par. 1078.

Eodem tempore tamen, quantum ex omnibus morbi phaenomenis poſſit judicari, conſtrictio ſpaſmodica parti coli rectique inferiori nonnunquam infertur, quae ad morbum, excretionem ſtercoris liberam praecavendo, ſuſtinendum confert. Haec vero ſequela tantum affectus inflammatorii eſſe videtur, qui actionem tunicae horum inteſtinorum muſcularis adauctum et abnormem, et ſpeciem quoque conſtrictam, quam, inter cadavera incidenda, nonnunquam, ſed non conſtanter, prae ſeſe ferunt, facit. Nec, cum progenerata eſt, diu manere, ſed interdum tantum humorum ſecretorum acrimonia, vel ſcybalorum motu periſtaltico in ſuperficiem membranae abraſae impulſorum fricatione excitari, videtur. Et cauſae eaedem eodem tempore, quo conſtrictionem movent, tormina et teneſmum progignunt. Conſtrictio autem ſubeſſe conceſſa eroſiones, tubercula, ſpeciemque gangraenae, quae in omni morbi exemplo funeſto ſemet conſtanter oſtendunt, minime explicat; quae omnia quidem pro ſequelis inflammationis, quae ea haud dubie praeceſſit, manifeſte habenda ſunt. Et quidem non improbabile eſt, plus minuſve eroſionis et ulcerationis in omni exemplo incidere, ubi ſanguis, in ſpatium temporis etiam modicum, e canali alimentario fuit profuſus.

EXPLICATIO

EXPLICATIO SIGNORUM.

Tormina, quae ſub initium morbi ſentiuntur, ab acrimonia eorum, quae canali alimentario comprehenduntur, membranam ejus villoſam irritantium, quae nunc ſenſilitatem praeter naturam magnam ab inflammatione ſe infeſtante ſibi adepta eſt, proficiſci videntur. Haec ſenſilitas autem per materias tenues ſtercoreas mucum naturalem, qui in ſuperficie inteſtinorum interna, ea ab acrimonia ſtercoris defendendi conſilio, ſecernitur, abluentes augebitur.

Aliquantum levationis expulſione horum acrium acquiretur, quae, donec ſecretio adaucta novam colluviei acris accumulationem progenuerit, manebit. Hujus autem acrimonia et moles tormina et dejectiones renovabunt. Si haec ſigna vero actione ſpaſmodica violenta tunicae inteſtinorum muſcularis ſtipantur, ſaeve excitantur; exhalantes arteriae glandulaequae mucoſae comprimentur, et ſecretio igitur ex iis adaucta movebitur, quae novum humorum ſtimulantium ſupplementum praebere perget.

Qui ſanguis faecibus dyſenteria laborantium admiſcetur, is conſtrictionibus ſpaſmodicis, quae inteſtinis per niſus alvum evacuandi inferuntur, potiſſimum eſt tribuendus

buendus. Haec autem, vaſa diverſae magnitudinis rumpendo, omnem phaenomenorum, quorum in hiſtoria morbi mentio fuit facta, varietatem concitabunt. Cum vero morbus graviter urſit, et aliquantum inveteravit, hanc ſanguinis profuſionem ab ulcerationibus, quae colon rectumque tam frequenter exercere reperiuntur, oriri probabile eſt. Inſuper, pus et ſanies, quae aliquando excernuntur, ab eodem fonte proficiſcantur oportet.

Cum colon rectumque, pleriſque in caſibus, ſedes morbi praecipuas eſſe, et ſaepe, praeter naturam, conſtringi appareat, motum eorum periſtalticum quoque nonnunquam inverti probabile eſt. Quod ſi incidit, ſcybala indurata retinebunt, et parietibus inteſtini inflammati imprimentur. Tormina et teneſmum hinc proficiſci non improbabile eſt, cum aegrotos, poſt niſus reiteratos et inefficaces, nihil aliud, quam quantitatem muci ſanguinolenti exiguam, evacuare poteſt. Quod veritatem hujuſce opinionis firmare et fulcire videtur, eſt hoc, quod ſcybala retenta haec morbi ſigna movent, quodque levatio ab uſu purgantium derivata quantitati materiae faeculentae, quae excernitur, pro rata ratione conſtanter reſpondet.

Teneſmus ab irritatione parti recti inferiori per inflammationem id occupantem illata pendere videtur. Haec dejectionum dyſenteriarum acrimonia, vel motibus a partibus ſuperioribus deorſum propagatis, magna ex parte, ſuſtentari poteſt. Hi niſus autem toties reiterati

terati prolapsum ani in pueris, et in infirmioribus, facillime progignent.

Stranguria et dysuria, quae dysenteriam aliquando comitantur, ab eo consensu, qui vesicam uriniferam inter et rectum intercedit, possunt oriri. Namque quaelibet irritatio, alterum viscus afficiens, cum altero facile communicatur; vel affectus inflammatorius ab uno viscere ad alterum potest diffundi.

Opinione admodum discrepuerunt auctores de origine et formatione crustarum membranosarum et filamentorum, quae in hoc morbo tam frequenter dejiciuntur, quaeque specie ad tunicam intestinorum intimam tam prope accedunt, ut illa pro hac non pauci habuerint. Naturam eorum modo rationali in praelectionibus suis excellentissimis exponit celeberrimus Monroius. Ea autem a parte sanguinis lymphatica mucoque canalis alimentarii originem deducere clare evidenterque demonstrat. Haec quantitate inusitata secreta, et in superficiem intestinorum internam effusa, partibus tenuioribus, per lymphatica vascula absorptis, filamenta hujuscemodi facile formare posse videntur.

Massae durae specieque adiposae ex eadem substantia, quanquam sub forma diversa, forsitan conficiuntur, quae formam compactam, in cellulis coli stagnando, ejusque pressurae cedendo, sibi potuit comparare.

Probabile est, faeces non firmam texturam speciemve figuratam ante sibi comparare, quam colon attige-

runt. Cum vero hoc in dyſenteria, praeter naturam, ſaepe conſtringatur, ſtercus in cellulis ejus retinebitur, et formam ſcybalorum vel maſſarum induratarum ſibi acquiret.

Ulcerationes et eroſiones, quae in cadaverum inciſionibus tam frequenter offenduntur, proficiſci putantur ab inflammatione tunicae villoſae ſemet ad tunicam nervoſam vicinam diffundente, et abſceſſus ibi formante, qui, licet ſub initium exigui ſint, ad ſemet undique ſpargendos, ob vim acrium ſtimulantem, ob ſtercus induratum illis applicatum, et ob actionem tunicae inteſtini muſcularis violentam, paratiſſimi erunt. Inſuper, diatheſis putrida, quae dyſenteriam autumnalem tam frequenter comitatur, auctui harum eroſionum non parum favebit.

Aphthae, eaſve reddentia, quae in ore et faucibus, ſinem morbi verſus, cum exitum infauſtum eſt habiturus, aliquando notantur, indicare videntur, eundem affectum inflammatorium, qui inteſtina invaſit, haſce partes, et oeſophagum forſitan quoque totamque ſuperficiem canalis alimentarii interiorem, occupare. Inciſiones vero, quae hanc conjecturam ſuffulciant, adhuc deſunt.

RATIO

RATIO MEDENDI.

In hac argumenti parte exequenda, eam medendi viam breviter referendam curabo, in quam, plene fuseque adhibitam, a me et aliis, cum succeſſu optimo, fuit proceſſum, quamque experientia reiterata efficaciſſimam eſſe demonſtravit.

Ad quatuor medendi conſilia generalia redigi poteſt.

1. Pyrexiam affectumque tunicae inteſtinorum villoſae inflammatorium depellere.

2. Conſtrictiones ſpaſmodicas, unde tormina et teneſmus frequenter proficiſci videntur, conſopire.

3. Superficiem canalis alimentarii internam ab acrimonia eorum, quae ſecernuntur, defendere.

4. Vires aegroti, per morbi decurſum, diaeta idonea ſuſtinere, et ne morbus recidivus fiat cavere.

Cum cauſa dyſenteriae proxima in affectu tunicae canalis alimentarii villoſae inflammatorio conſiſtere ponatur, cumque hic impetu humorum ad viſcera abdominis adaucto potiſſimum excitetur, dum morbus recens, et antequam ulla exulceratio vel eroſio orta eſt, ad ea, quae primo conſilio accommodantur, decurrere conveniet. Et quod primum impetum humorum ad

ſuperficiem

ſuperficiem revocandi conſilio adhibendum putamus, eſt emeticum.

Sub initium, et per decurſum dyſenteriae, functiones ventriculi magnopere perturbantur, et quae eo continentur aliquando acida, ſed frequentius putreſcentia evadunt, et haec acrimonia ſuperficiei canalis alimentarii ſenſili admota eandem non ſtimulare non poterit, et igitur conſtrictiones ſpaſmodicas ciere periclitabitur.

Vomitionis excitandae ipecacuanha frequenter fuit adhibita. Hoc medicamentum ſummis laudibus fuit elatum, a quibuſdam pro ſpecifico in dyſenteria habitum. Boni ejus effectus vero a virtute ejus emetica potiſſimum pendere videntur, et hac forſitan tartaro emetico cedit, quod doſibus ad nauſeam movendam accommodatis adhibitum curſum humorum ad ſuperficiem potenter facit, ſpaſmum febrilem, qui eam tenet, tollendo agens. Et, ob conſenſum fibras cutis inter et ventriculi inteſtinorumque proprias intercedentem, ſpaſmum colo rectoque, quae, pleriſque in exemplis, ſedes morbi ſunt, forſitan quoque demet.

Apud plagas calidiores vero, operatio tartari emetici ſolius violentior eſſe reperiebatur, et propter debilitatem, quam ſyſtemati univerſo intulit, et potiſſimum propter perturbationem, qua functiones ventriculi affecit. Namque vomitio, in aliquot dies poſtea, cauſis leviſſimis excitabatur, et alimenta ingeſta fermentationem acidam brevi ſubibant, vel diſtenſionem ſtomachi

et

et inteſtinorum flatulentam dolentem movebant. Igitur ventriculi evacuandi ipecacuanha, portiunculae tartari emetici adjuncta, adhibebatur, quo et vomendi, et curſum humorum ad ſuperficiem faciendi, conſiliis inſerviebatur. Hoc medicamentum veſpere, quo acceſſioni febrili, quae in dyſenteria ſatis manifeſta et evidens eſt, occurreret, praecipiebatur.

Purgantia adhibita in affectum canalis alimentarii inflammatorium plurimum poſſe reperiebantur, et remedia, quae in auxilium morbi promptiſſima erant, eſſe videbantur. Potiſſimum, quantum judicari potuit, ſcybala indurata, quae, cellulis coli inhaerentia, id magnitudine mechanice ſtimulabant, et irritationem perpetuam reddebant. Laxantia quoque, ſecretionem ex exhalantibus numeroſis, in ſuperficiem tunicae inteſtinorum villoſae diffuſis, adauctam facientia, ad actionem eorum morbidam, purgatione alvi peracta, compeſcendam conferent; vel, organa ſecernentia, quae in cavum inteſtinorum hiant, ſtimulando, ſecretionem magis ſalubrem promovebunt.

Multa purgantia ab auctoribus fuerunt laudata, et omnia eorum, exemplis in diverſis, prodeſſe potuerunt. Quae fructu cum proſperrimo, cum morbum curandum ſuſcipiebam, adhibebantur, ea ſales medii fuerunt, et reliquis ſal Glauberianum palmam facile praeripuit. Hoc medicamentum purgans, vel quodcunque aliud in uſum revocabatur, aegroto mane, poſtquam emetico

fuerat

fuerat ufus, datum eft, et die, qui fequebatur, fecundo repetitum eft. Ad idem, ex eodem intervallo, et poftea, pro gravitate fignorum et violentia, rurfus decurfum eft. Quod praefidii ab illo profluxit, id quantitati fcybalorum evacuatae, pro rata ratione femper refpondit. Cum morbus vero aliquantum inveteraverat, fales medii repetiti, forfitan ob poteftatem eorum fedantem et refrigerantem, debilitatem in canali alimentario fubftantem intendere videbantur, inflationem abdominis et diftenfionem dolentem faepe facientes. Hoc tempore igitur pulvis rhabarbari et jalapii in locum eorum fufficiebatur, et votis optime refpondebat, dejectiones copiofas plerumque movens

Balneum tepidum eft remedium, quod confilio primo convenire videtur; fed, ob debilitatem quam faepe reiteratum neceffario facit, aliqua ex parte anceps effe confitear oportet. De effectibus ejus vero, propria experientia doctus, differere nequeo; namque fitus incommoda, quibufcum colluctabar, me id adhibere vetuerunt. In multis vero exemplis, fomenta calida magnam levationem attulerunt, et cum quaelibet pars abdominis fingularis dolore, qui fixus effe videbatur, affecta eft, emplaftrum epifpafticum fedi ejus fuperimpofitum eum faepe removit.

Quantum *confilium fecundum* fpectat, conftrictiones fpafmodicas nempe, unde tormina et tenefmus frequenter proficifci videntur, confopire, opium, per totum

dyfenteriae

dyſenteriae autumnalis decurſum, liberaliter adhibitum eſt. Ad id tormina, quae intolerabilia ſaepe fuerunt, levandi cauſa confugere omnino fuit neceſſarium. Intercapedinem doloris, in quatuor aut quinque horas, per quas aegrotum miſerandum ſomnus gratiſſimus reficiebat, comparare conſuevit, et hoc modo debilitati, quae in eventu funeſto accelerando frequenter multum poſſe videbatur, occurrendo evidentiſſime profuit. Si evacuatio inteſtinorum rite attendebat, nullae noxae uſum ejus excipere videbantur. Veſpere plerumque, operatione emetici finita, dabatur, vino ipecacuanhae, vel antimoniali, adjunctum. Hae formulae nonnihil humiditatis in ſuperficie corporis excitabant; ſed multum ſudationis vitabatur, non ſolum ob debilitatem, quam inferre ſolebat, ſed quod periculum erat ne, ob frigus corpori applicatum, ſubito cohiberetur, et impetus humorum nimius ad partes corporis interiores rurſus fieret. Namque frigus colligere periclitabantur aegroti, dum alvi evacuandae cauſa e lectis ſurgebant.

3. Superficiem canalis alimentarii internam ab acrimonia eorum, quae ſecernuntur, defendere.

Hoc magna ex parte praeſtant liquores diluentes liberaliter adhibiti, ii praeſertim qui ſubſtantias mucilaginoſas ſolutas continent, quales ſunt gummi Arabicum, tragacantha, infuſum ſeminis lini, &c. Serum lactis ſummis laudibus fuit elatum, et, cum acidulum ſit, ut antiſepticum prodeſſe poteſt, excretiones alvinas

per

per vim, quam habet, ſtimulantem, eodem tempore promovens. Lac ebutyratum quoque, cui inſint eaedem dotes, proficere valet.

Cum morbus in parte coli inferiore et recto potiſſimum ſedeat, enemata ex oleoſis et mucilaginoſis confecta plurimum auxilii promittunt, in membranam inflammatam, in morem applicatorum topicorum, agentia, et muci naturalis per dejectiones freqventes abluti vicem reddentia. Eorum vero periculum juſtum nunquam fieri vidi. Nonnullis in exemplis, ubi enemata ex amylo conflata tunicam inteſtinorum intimam defendendi adhibebantur, nihil commodi inde oriebatur; namque momento fere deſcendebant, non parum teneſmi eodem tempore moventia. Plus forſitan profuiſſent opio conjuncta. Hanc rationem hoc medicamentum utiliſſimum praecipiendi, non tantum in dyſenteria, ſed in aliis etiam inteſtinorum morbis, commodiſſimam fore probabile, immo fere certum eſt. In caſu praeſente, remedium ſedi morbi recta applicatur, et igitur contra ſpaſmodicas conſtrictiones efficacius erit. Hoc modo praeterea medicamentum adhibendi ſigna nauſeae et anorexiae, et alia ventriculi vitia, defugiuntur, quae uſu ejus communi et ordinario fere conſtanter moventur. In his enematis vero adhibendis, agendum eſt, ut ſubſtantia, quae opio ſoluto vehendo inſerviat, quantitate exigua ſit; namque diſtenſio recti, quod in praeſentia admodum irritabile eſt, perquam modica de-

ſiderium

ſiderium repentinum deſidendi, et teneſmum, qui id comitatur, movebit.

Cum acrimonia acida in ventriculo invaleſcebat, per magneſiam ſubigebatur, et compoſitum inde oriens vim leniter purgantem habebat. Si vero morbus jam ſpatium longius habuerat, et laxitatem inteſtinis non parvam intulerat, et purgatio non requirebatur, *potio cretacea* magneſiae anteferebatur. Et interea purgans lene adhibitum, ne faeces accumularentur, cavebat.

4. Vires aegroti, per morbi decurſum, diaeta idonea ſuſtinere, et ne morbus recidivus fiat cavere.

Hoc conſilium rite exequi ſummi momenti eſt; ſed ſaepe in primis difficile. Subſtantiae animales, aegrotis cum morbis, quibus aliquid pyrexiae adjunctum eſt, colluctantibus, forma ſolida datae, ad putredinem vergunt, et igitur nunquam non devitandae. Eadem forſitan decoctis minus valentibus ex iis confectis, et formam juſculorum gerentibus, objici poſſunt. Ad ea haud dubie non debet decurri, morbo adhuc recente, aut graviore. Cum vero morbus lenior eſt, et cum aliquamdiu manſit, haec juſcula gelatinoſa farinaceis conjuncta partem diaetae aegroti apte conſtituere poſſunt. Farinacea per ſe data fermentationem acidam ſubire periclitantur; ſed hanc proclivitatem decoctis animalibus minus valentibus adjuncta aliqua ex parte amittunt.

Morbo incipiente, lac caute adhibendum eft; fed, aegrotis convalefcentibus libere adhiberi poteft, et ex oryza hordeove coctum partem diaetae aegrotantium utilem conftituit. Cum morbi longitudo aegros debilitavit, et vires corporeae ei fuccumbere incipiunt, ad vinum, corticem Peruvianum, et ufum opii liberalem, decurratur. Haec remedia cum fucceffu profpero faepe dabantur, et frequenter quoque nihil proficiebant. Namque injuriae tunicis inteftinorum illatae non raro tales fuerunt, quales medicinae parere recufarunt. Spes noftras ufus corticis Peruviani in dyfenteria faepe fefellit; namque utilitas ejus bonis effectibus, quos ab eo, aliis in morbis febrilibus, oriri experientia demonftraverit, minime refpondit. Adftringentia varia aromatis adjuncta cum fructu adhibebantur, cum ftatus inflammatorius deceflerat, et dejectiones, quae adhuc manebant, a ftatu canalis alimentarii debilitato, vel a relaxatione excernentium in eundem hiantium, pendere videbantur. Dum vero adhibebantur, duritiei alvi, quam interdum faciebant, laxante leniore in ufum revocato, neceffarium erat occurrere.

Cum febris dyfenteriam comitans remittebat aut intermittebat, quod non rarum fuit, emetica praefcribere, et ea, quae canali alimentario continebantur, prius evacuare conveniebat, quam paroxyfmos cortice Peruviano fiftere fumus conati: Hunc, in exemplis hujufcemodi, cum opio conjungere, ne vomitione rejiceretur,

vel

vel celeriter defcenderet, neceffarium effe reperiebatur. In conjunctionibus morborum hoc genus fumma, ut vires aegrotantium, quae illis admodum fubito convelluntur, rite fuftineantur, cura eft adhibenda. Inteftina eodem tempore libere deplenda. Ratio vero medendi, in quam debet procedi, cum contraria, quod, dyfenteria aliis morbis adjuncta, frequenter incidit, videntur indicari, hic locum habere nequeunt.

In plerifque dyfenteriae vernae exemplis, quae femet oftendebant, non parum diathefeos phlogifticae dominari repertum eft, quam fanguinis detractione pro viribus aegroti aliifque tollere neceffarium effe reperiebatur. Purgantia falina potiffimum indicabantur, et ad opium per primos morbi dies non confugiebatur. Signis inflammationis fublatis, curatio reliqua, pro principiis in dyfenteria autumnali exequenda propofitis, ad finem perducebatur.

Quo morbus non repeteret, quod apud milites, et ob varia incommoda, quibus objiciebantur, et ob fummam fuam incuriam, incidere admodum periclitabatur, nulla militaria munia, nifi viribus reftitutis, noctu obire cogebantur. Pannus laneus, cum potuit comparari, proxime cutem geftus, et tegimina pedum crurumque confuetis numerofiora in reditum morbi plurimum poffe reperiebantur.

F I N I S.

[illegible]